

hominum, cum illis loqui, illosq; eru-
 dire ac docere: qua causa etiam filium
 suum in doctorem præceptoremq; ad
 nos ablegavit. Hujus loci est typus ille
 lōge pulcerrim⁹ pueruli Iesu, qui Hie-
 rosolymis in templo docendi munus
 obire voluit, nō fane solum ob Judai-
 cum templum, quod hodie non extat,
 sed in primis propter Christianam Ec-
 clesiam, quæ est vera cœlestisq; Hieru-
 salem, quam ipse sol⁹ verbo & Spiritu
 suo vult erudire: deinde propter tem-
 pla cordium nostrorum, in quib⁹ ipse
 nos docere, consolari, illuminare, san-
 ctificare; adhæc orare, interrogare, re-
 spondere & loqui vult per sanctas co-
 gitationes, devotas Meditationes, &
 spirituales inspirationes: in quibus di-
 dascalicum ipsius officium consistit.
 Unde adeo animose matrem suam al-
 loquitur Lucæ 2. *Quid est quod me qua-
 rebatis? nesciebatis quia in his quæ patris
 mei sunt, oportet me esse?* Vocans ea quæ
 sunt patris sui, vocationem & munus
 didascalicum à patre ipsi mandatū.
 Quod fane mūnus etiamnum obit ad
 dexteram Dei, ceu unicus noster ac ve-
 rus pontifex: in terris vero per verbū
 suum illo fungitur, per quod etiam in-

*Christus
 docet in
 templo
 cordium
 nostrorū.*

*

tus